

quia tunc Superior non potest negare licentiam contra Jus naturale, & talis negatio licentiae non tantum foret illicita, & iniusta ex parte praecipiens, sed etiam ex parte rei praecipit, & consequenter invalida. II. Si Superior antedens dederit mihi licentiam, valet, etiamsi ipse ab officio decesserit. Lugo, Dicastillus, Diana *par. 11. tom. 8. Resolut. 54. La Croix cit. num. 15.* E contra quamvis Superior licite accipit pro se aliquid tempore, quo est Superior, ac etiam licite retineat tempore, quo non est superior, uti recte Lugo contra Dicastillum: attamen non poterit expendere sine licentia sui moderni superioris: quia tantum aliis, non autem sibi ipsi poterat delegare, seu committere potestatem ad exponendum pro tempore sequenti, cum inter delegantem, & delegatum debeat esse distinctio.

III. Valet licentia prius negata à Prælato superiori, si nulla hujus facta mentione, eam obtineas à Prælato inferiore, etiamsi per Regulam praescribatur, ut indicetur inferiori, cur negarit superior. Ratio est: quia inferior habet de se potestatem ad hoc, uti suppono, & ignorantia negata ab alio licentia habet se per accidens. La Croix *cit. numer. 116.* cum Pellizzario, & quamvis Prælatus superior prohibuisset inferiori dare talem licentiam; tamen adhuc valide daret, dummodò non sit addita clausula irritans factum, quia non ideò erat Prælato inferiori sublata sua potestas ordinaria; multa autem sunt illicitè, quæ tamen valent. La Croix *cit. IV.* Si quis successivè modica accipiat sine licentia Superioris, an tandem fiat materia gravis peccatum mortale constituens? distinguendum est; si enim peccata levia contra pauperem, contineant etiam culpam contra Iustitiam, ut quando Religiosus aliquid accipit ex bonis Religionis sine licentia, tunc acceptiones minutæ accrescunt in gravem materiam, sicut fit in furto, quia tales acceptiones verè sunt furtum. Quòd si verò Religiosus ab extraneis successivè modica accipiat sine licentia Superioris, non tamen cum intentione perveniendi ad summam gravem, tales minutæ acceptiones non coalescunt in unam materiam gravem, nec constituunt grave peccatum, quia solum sunt peccata Sacrilegii contra votum paupertatis, non autem furti, & propterea sicut peccata levia sacrilegii in aliis materiis non concrefcent, sic nec hic. Vide etiam La Croix *lib. 4. num. 134.*

*S. III. Religiosus ex Voto Castitatis tenetur abstinerere ab omni venerea delectatione etiam aliàs in statu conjugali licita.*

153 I. Conveniunt Doctores, Religiosum per votum castitatis emissum omnes venereas delectationes à se abdicare, etiam aliàs in statu conjugali licitas: qui enim castitatem in Religione vovit, non solum contrahendum matrimonium mortaliter peccat, quin etiam matrimonium ipsum esse irritum, & invalidum, etiamsi sit consummatum, ut habetur in Concilio Viennensi *Clement. unica de consang. & Tridentino sess. 24. Can. 9.* & aliis Conciliis. Unde Castitas, quæ ante votum ad solam virtutem temperantiae pertinebat, per votum emissum pertinet etiam ad virtutem Religionis; & sic violatio castitatis in Religioso duplicem habet malitiam specificam in confessione necessario explicandam nimirum luxuriae contra castitatem, & sacrilegii contra Religionem. Per castitatem itaque voto promissam obligatur Religiosus abstinerere ab omni delectatione venerea interna, & externa, qualiscunque illa sit: ut à turpibus cogitationibus, delectationibus inordinatis, sensu, ac etiam actibus externis, ut ab aspectu, locutione, tactu, & similibus cum femina. Ratio est, quia vovens se obligat ad castitatem secundum receptam ab omnibus in Ecclesia significationem hujus nomine *Castitas*: hæc autem comprehendit omnes actus contentos sub 6. & 9. præcepto Decalogi, citatque Cardenas apud La Croix *cit. num. 154.* Auctores 22. qui, vel in terminis asserunt, id esse certissimum, vel omnino supponunt, nec dubitare audent ex quo consensu Theologorum sit evidentia moralis: ergo licet *Caramuel*, & unus Summistæ contrarium teneat, opinio eorum non est probabilis. Imò probable est, quod votum castitatis Religiosæ etiam versetur circa actus, qui terminantur ad impudicitiam alienam, ideòque Religiosum, qui etiam sine propria delectatione concurrat proximo, & immediatè verbi gratia per tactum, ad pollutionem hominis sæcularis, violare suum votum castitatis. Ita Cardenas apud La Croix *cit. num. 155.* dicens, sententiam oppositam esse damnatam à S. Fidei tribunali. Ratio est: quia qui utitur membris suis ad impudicitiam mortalem, etiam sine delectatione propria, peccat mortaliter contra propriam castitatem, ut patet in eo, qui absque delectatione propria dormientem tactu provocat ad pollutionem,

vel factos conjungit ad culpam: ergo.

II. Propter castitatem à Religiosis observandam, & conservandam, ab Ecclesia saluberrimè ordinata est *Clausura Regularium*, tam virorum, quam Monialium. Per Clausuram autem Monasterii intelligitur totum illud spatium, quod ambitur, & clauditur muris, seu septis Monasterii. Ita in re communis apud Reiffenstuel in 3. *Decret. tit. 35. de statu Monachorum num. 26.* hinc non tantum ipsum Monasterium, ejusque officinæ, & habitacula interiora, sed etiam horti Monasterio contigui inter præfatos muros, seu septa existentes, quò distractionis gratia se Regulares conferunt, & quiddid intra eadem septa existit, sub clausura comprehenduntur, uti bene docet Sanchez *lib. 6. moral. cap. 17. num. 14.* Hyacinthus Donatus *tom. 1. tract. 8. quæst. 11.* & communis aliorum. Idem est de Sacristia, si in eo sita sit posita, ut in eam non nisi per clausura Monasterii pateat ingressus, & consequenter, teste Kerckhove in *statuta nostra Generalia cap. 4. §. 5. num. 10.* Omnes admittunt, in Sacristiam taliter situatam feminas admitti non posse. Si verò Sacristia ostium existat in ipsa Ecclesia, adeò ut Regulares eam accedere non possint, nisi per Ecclesiam transeunt, admittunt Lezana *tom. 1. cap. 10.* Bonacina, Suarez, & alii apud Kerckhove *cit. feminas in eam admitti posse.* Ratio est, quia Sacristia in priori casu censetur pars Monasterii: in posteriori verò casu censetur pars Ecclesiæ; idgòque sicut femina Ecclesiam, non verò Monasterium ingredi possunt, sic & in Sacristiam posteriori modo, non verò priori modo situatam admitti possunt. Sed quid, si Sacristia habeat duas portas, unam positam in Ecclesia, & aliam in claustrum Monasterii, licet tunc ingredi possunt feminæ? Respondet Bonacina *quæst. 9. de clausura part. 1. num. 4.* Probabilius videri non posse: cum ipse Sacristia veniat nomine Monasterii, quippe quæ est pars Monasterii. Verum tamen etiam hodie videmus in Monasteriis bene ordinatis, & reformatis feminas in hujusmodi Sacristias promiscuè admitti. At Kerckhove *cit. num. 11.* Eodem modo discurrendum videtur de Choro. Valde tamen decens est, ut per superiores in præfato casu Sacristia clausuræ annumeretur, licet enim superiores Ordinum clausuram necessariam, seu à Jure jam determinatam, pro libitu aliter determinare, vel variare non possint; possunt tamen ea, quæ de rigore Juris clausura non sunt, vel de quibus dubium est, uti sunt sacristia v. g. Chorus &c. pro eadem determinare, ac declarare, ut apud Reiffenstuel *6. num. 27.* docet Pellizzarius, Donatus, & Alii. Igitur propter castitatem servandam,

III. Omnes, & singulæ Moniales gravissimè obligantur ad clausuram quoad Egressum, ita ut mortaliter peccet, & ipso facto excommunicationem incurrat, quæ sine justa causa, & legitima licentia clausuram egreditur. Ita unanimes ob clara jura *unic. de statu Regular. in 6. & Conc. Trident. sess. 25. cap. 5. de Regular. idem patet ex constitutione, circa Pastoralis S. Pii V. & ex constit. DEO SACRIS, Gregorii XIII. apud Reiffenstuel cit. num. 28.* Plures tamen sunt causæ, ob quas Monialibus dari potest licentia exeundi à clausura. Prima est morbus alicujus Monialis ita contagiōsus, ut aliæ sine scandalo, vel infectionis periculo cum ea commorari nequeant. Hujusmodi morbus est lepra, epidemia, pestis &c. ut declaravit S. Pius V. *cit. Secunda* est casus urgentis incursionis hostilis, præsertim Hæreticorum, & infidelium, ex quo magnum damnum imminet Monasterio, vel Communitati in bonis fortunæ, vel corporis nisi fugiant. Tertia est aquarum inundantia monialibus periculosa. Quarta, si quæ Monialis alibi eligatur Abbatissa vel superiorissa, aut ad fundandum novum Monasterium aliò mittatur. Quinta, univèrsaliter, quando bonum commune urget egressum. Ita Rodriguez, *tom. 1. quæst. 49. art. 3.* Navarrus, Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 15.* Pirrhing, Donatus, Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 12. num. 1.* Reiffenstuel *cit. num. 29.* & seqq. & plures Alii. Imò apud citatum Reiffenstuel *num. 33.* docent probabilius Navarrus, Suarez, Azorius, Peyripis, Pirrhing, Barbofa, etiam ob graves causas bonum particulate, v. g. vitam alicujus Monialis concernentes concedi posse egressum à clausura, si non nisi egrediens curari potest. Ratio est: tum quia defensio naturalis nemini est auferenda; facultas autem defendendi vitam est naturalis. Tum quia juxta communem Theologorum, leges humanæ non obligant cum gravi damno, præsertim periculo vitæ. Accedit declaratio Cardinalium idem censens, quam refert Suarez, Donatus, & Reiffenstuel *cit. num. 33.* An verò causa egrediendi sufficiens sit, & legitima, solus loci Ordinarius, seu Episcopus cognoscere, & approbare, eaque cognita concedere, vel negare debet licentiam in Monasteriis non exemptis, uti patet ex Concilio Trid. *s. 25. de Regul. c. 5.* ibi: *nemini Sanctimonialium liceat exire à*

Monasterio, nisi ex aliqua causa ab Episcopo approbata:

Monasterio, nisi ex aliqua causa ab Episcopo approbata: In Monasteriis verò exemptis idem Episcopus cum Superiori Ordinis. Ita cum Sanchez, Donato, Pirrhing, Reiffenstuel *cit. num. 37.* qui dicit, esse communem sententiam, & hodiè certam ex Concilio Tridentino mox citato, quod univèrsaliter, & indistinctè loquitur, consequenter etiam est indistinctè intelligendum, & ex constitutione S. Pii V. quæ incipit: *circa Pastoralis*, & est ordine 8. in Bullario Cherubini, in qua §. 2. postquam allegata sunt causæ exeundi, inter aliàs etiam infirmitas certa posita, addit: *Que tamen infirmitas præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcoporum, seu alium loci Ordinarium: etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum Jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expresse in scriptis approbata sit, à præfatis Monasteriis exire, sed nec in prædictis extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere. Sed Sanchez, & Castro-Palaus apud La Croix *lib. 4. n. 69.* rectè dicunt attendendam esse consuetudinem, quæ in Hispania existit, ut quò Moniales exemptas sufficit solius Superioris licentia.*

155 Quamcumque ingressum in clausuram Monialium, ea consistit in hoc; quòd nemo, sive vir sit, sive femina, absque peccato mortali, & pœnæ excommunicationis ipso facto incurrenda clausuram Monialium ingredi possit, nisi legitimam causam habeat, & licentiam ab illis, qui concedere possunt. Ex capite unico de statu regularium in 6. Concilio Tridentino *sess. 25. de regular. cap. 5.* ibi: *ingredi autem intra septa Monasterii (Monialium) nemini liceat, cuiuscumque Generis, Conditionis, Sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obienta, sub excommunicationis pœnâ ipso facto incurrenda.* Accedit constituto Gregorii XIII. *Ubigratia*, quæ est ordine 28. in Bullario Cherub. ubi etiam revocat omnia privilegia ingrediendi à quocumque. & cuiuscumque concessa. Ratio hujus infirmitatis, ne Moniales inciderent ad peccatum; cessante autem sine legis cessat ipsa Lex. Accedit praxis, & consuetudo passim recepta, quæ est optima Legum interpret. Aliud est de amentibus, vel usu debitæ rationis carentibus puberibus, vel adultis; quamvis enim hi intrando non peccent, peccant tamen Moniales, & alii eos admittendo utpotè in quibus ratio Legis, periculum nempe Monialium æquè, imò subinde magis, quàm in aliis militat. Imò monient Doctores, non facile, & passim admittendos esse infantes, quia etiam hi tentationes, & habendi pericula Monialibus causant. II. Excipiuntur puellæ, quæ bonæ educationis, & instructionis gratia ingrediuntur, hæ enim de licentia Episcopi, vel Superioris cum consensu Superiorissæ admitti possunt; dummodò certæ serventur conditiones, quarum prima est; ne id ab instituto Religionis specialiter prohibeatur. Secunda, ut præter consensum Superiorissæ accedat scripta licentia Episcopi, vel Superioris. Tertia, ut ibidem degant sine ancillis, quantumvis nobiles sint. Quarta, ut clausuram servant, sicut Moniales. Quinta, ut decenti habitu virginali incendant. Sexta, ut ultra annum 25. ibidem non retineantur. Septima, ut à Parentibus repetitæ, statim eisdem extrahantur. Octava ut sint separatæ à loco Monialibus, & Novitiis destinato ad dormiendum, ac ad operibus manuum vacandum. Ita Rodriguez *tom. 1. quæst. 46. art. 10.* Miranda, Sanchez Sorbus, Reiffenstuel *cit. numer. 41.* Idque defumit ex pluribus declarationibus Cardinalium, quas refert Rodriguez citatus. III. Excipiuntur Imperatores, & Reges, eorumque uxores, filii, filiaque. Ita Rodriguez *cit. quæstion. 48. art. 1.* Sanchez, Pellizzarius, Layman: Bonacina, & Alii. Ratio est: quia supremæ similes Personæ, speciales nota dignæ, non comprehenduntur sub generalibus verbis Legis, nisi exprimantur, *arg. c. in generali 8. de regulis J. in 6.* idem dicendum de Personis ad honestam, & decentem comitatum præfatarum Personarum clausuram ingredientium spectantibus. Ita Doctores citati. Ratio est: quia non est verisimile, quòd Pontifices præfatis Personis facultatem intrandi clausuram indulgentes, velint eas solas ingredi sine comitatu Dignitatem decente. Quæ hæc solus de Imperatoribus, & Regibus, eorumque uxo-

ribus, ac proliis dicta sunt, etiam ad Electores S. R. I. eorumque uxores, & proles, probabiliter extendi posse, docet Reiffenstuel *cit. num. 49.* eo quòd de iisdem eadem quæ de Regibus, & Imperatoribus videantur militare rationes, consequenter eadem Legis dispositio. Nec obstat, quòd S. Pius V. à clausura ingredienda excipiat etiam Comitissas, Marchionissas, & Ducissas. Nam Electores, & Electrices S. R. I. sunt his Superiores, consequenter in Legge odiosa non comprehensæ, nisi exprimantur. *Arg. cap. 81. de Regul. Jur. in 6.* Accedit praxis, & consuetudo saltem in Germania passim vigens. Quare etiam Sanchez apud nostrum Kerckhove *cit. cap. 4. §. 5. n. 4.* docet Archiducissas, & Magnas Ducissas, ut Tuscæ, Parmæ, Sabaudia &c. posse ingredi clausuram, quia S. Pius V. à clausura ingredienda non excipit easdem. IV. Excipiunt probabiliter etiam Fundatrices, quæ cum honesto comitatu Monasteria, quæ fundarunt, ingredi possunt. Ita Suarez *tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 1. cap. 7. num. 6.* Kerckhove *cit. num. 5.* & cap. 5. §. 8. num. 63. in fine. Ratio est: quia Fundatrices Monasteriorum habent peculiarem rationem; ut non debuerint sub generali prohibitione comprehendi, cum sint quasi Domine suorum Monasteriorum. Hinc Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 12. num. 5.* dicit, quòd in aliquibus Ordinibus consuetudo sit admittendi feminas Fundatrices. Porrò Cardinalis Prænostenis Protector Ordinis Minorum declaravit, nullas mulieres debere vocari fundatrices, nisi locum sive fundum sitis Monasterii concesserint, aut Monasterium propriis sumptibus fabricari fecerint, sive reddidissent ad vultum. *arg. vestitum fratrum dotaverint.* Ita Kerckhove *cit. V.* Etiam aliæ adhuc Personæ clausuram Monialium ingredi possunt, quando adest moralis necessitas, sive circa Monasterium, sive circa communitatem, sive circa Monialem in particulari occurrentem, cui absque ingressu externorum per Moniales, vel aliter succurri commodè non potest. Ita Rodriguez *tom. 1. quæst. 46. art. 4.* Miranda, Sanchez, Barbofa, Portel, & communis Aliorum apud Reiffenstuel *cit. numer. 52.* Ratio est: quia Concilium Tridentinum *sess. 5. de Regularibus cap. 5.* dicit, quòd licentia intrandi dari tantum possit in casibus necessariis, intellige, moraliter. Hinc sequentibus causis, & casibus licitè ingredi possunt Medici Chirurgi ad medendum infirmitati Monialium necessariis. Item fabri, ministri, & operarii necessarii pro constructione, conservatione, aut reparatione alicujus ædificii, vel similibus operibus perficiendis: item bajuli portantes Monasterio necessaria tam onerosa, ut à Monialibus plerumque debilioribus commodè portari nequeant. Item Hortulani pro interiori horto. Item Sartores pro vestibus, non item sutores pro calcæis conficiendis quia hi offensa eis mensura calcæi, vel ipso calcæo, extra sua commoda peragere possunt, non item fartores. Item famulæ sæculares ad serviendum intus Monasterio non tantum ad breve, sed etiam ad longum tempus, casu quo Moniales non possent habere Professas ad viliora munera, verbi gratia lavandum, purgandum Monasterium &c. aptas, dummodò nunquam à Monasterio exeant, sed unam cum Monialibus clausuram servant, donec omnino dimittantur. Rodriguez *cit. quæst. 44. art. 4.* Pirrhing *cit. de statu Monachorum num. 4.* Miranda, Reiffenstuel *cit. num. 54.* VI. Confessarius ingredi potest clausuram in casu, quo Monialis aliqua ob infirmitatem alia via ad Confessarium, vel hic ad illum commodè venire nequit, ad audiendum ejusdem Confessionem, & administranda eidem Sacramenta. Ita omnes. Quod non tantum pro Articulo mortis, sed etiam pro quovis tempore, quo aliæ Moniales communicant, vel confitentur, intelligendum venit: uti bene docet Rodriguez *tom. 1. quæst. 47. art. 4.* id probans ex declarationibus Pontificum, Sanchez, Barbofa, Miranda cum communi. Quinimò docet Rodriguez citatus, Sanchez, Barbofa, Portel, adud Reiffenstuel citatum *numer. 55.* etiam tunc posse ingredi Confessarium, quando aliis non communicantibus, aut confitentibus, infirma dicit, se penitentia Sacramento indigere, præsertim ab initio morbi. *Arg. cap. cum infirmitas, de Penitentia, & Remissione.* Addit Rodriguez citatus, Miranda, Barbofa, posse etiam Prælatum, vel Confessarium Monialium in diebus, quibus cæteræ Moniales confitentur, & communicant, intrare clausuram ad celebrandum ibidem in infirmary, & Oratorio, vel Altari ibidem decenter præparato, & communicandam unam vel plures infirmas, idque ex concessione Leonis X. quam in formalibus refert loco citato, Rodriguez, Barbofa *de Officio, & Potestate Episcopi allegat. 102. num. 49.* & Miranda, ut qui etiam bene deducit, dictum privilegium nullibi esse revocatum, quamvis ibidem concedat illicitum hodie esse, quovis tempore celebrare in infirmary, ad solum nem, ut infirmæ audià Missam. Ita Reiffenstuel *cit. n. 56.* Item

Suppl. Theol. Decal.

Con-



Confessarius ingredi potest Clausuram ad administrandum infirmæ Extremam Unctionem, ad assistendum agonizanti, ad sepeliendam defunctam, & tunc cum 6. fratribus ex declaratione Pauli III. aliàs tantum cum uno socio. Kerckhove in stat. Generalia cap. 5. §. 8. n. 41. *Et seqq.* Similiter Superiores Monialium non possunt prohibere clausuram Monialium ingredi. Sed ut loquitur Gregorius XIII. Bulla: *Dubius, que emergunt, data 1581. 23. Decembris, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria, ita tantummodo ut possunt, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, usque senioribus, de Religiosis Personis comitati.* Causa autem sufficiens ad huiusmodi ingressum pro Prelatis erit iuxta Miranda de Sacris Monialibus, quæst. 2. art. 14. & 15. Pro Visitatione Monialium: pro Capitulo culpam, dum aliter fieri non poterit; ut visitent officinas, Dormitorum, Cellas, Suppellestem, & cætera item ad ædificium construendum. Denique in aliis casibus urgentibus, & necessariis.

156 Ad licite ingrediendam clausuram Monialium ordinariè loquendo, præter necessitatem Moralem requiritur licentia Episcopi respectu Monasteriorum non exemptorum: respectu verò exemptorum requiritur, & sufficit licentia Superioris Ordinis, iuxta Ordinis constitutiones, vel consuetudinem. Ita apud Reiffenstuel cit. num. 57. Barbosa, Sanchez, Suarez, Miranda, Rodriguez, Pirrhing, & patet ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 5. de regular. ubi divisivè loquendo dicit: *quod nemo ingredi possit Clausuram Monialium sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta: dare autem Episcopus, vel Superior licentiam tantum debet in casibus necessariis.* Quæ licentia licet iuxta verba Concilii debeat esse in scriptis obtenta, in casibus tamen repentinæ necessitatis, & ubi est periculum in mora, si licentia Superioris in scriptis expeditur, sufficit licentia ore tenus data, vel etiam interpretativa, si etiam circa hanc obtinendam sit periculum in mora iuxta communem: quia aliàs in huiusmodi necessitatibus non asserit satis consultum Monialibus. Imò Miranda de Sacris Monialibus quæst. 2. art. 17. Conclus. 1. Rodriguez Tom. 1. quæst. 46. art. 2. in fine Lamas, & alii docent, in ordinariis necessitatibus casibus, quibus ingredi possunt, v. g. Confessarii, Medici, Chirurgi, operatori, opifices, fabri &c. omnino non requiri aliquam licentiam specialem in scriptis, vel ore tenus obtentam, etsi Superior ad manum sit, & licentia facile obtineri possit, sed sufficere licentiam Abbatissæ, idque ex interpretativa licentia Episcopi, vel Superioris, vel quia in his casibus licentia habetur à Jure. Quæ sententia (ait Reiffenstuel cit. num. 60.) omnino probabilis est, & in praxi tuta; præsertim cum etiam Regulatissimorum Monasteriorum praxi & consuetudine, quæ est optima Legum interpres, confirmetur. Postquam autem Episcopi, Superiores, vel alii clausuram licitè ingressi sunt, debent finito negotio, vel cessante causa, brevi iterum exire, nec diù ibi se detinere possunt: tamen si post finitum negotium modico tantum tempore ibi se detineant, v. gr. consolandi infirmam, vel etiam visitandi, aut videndi Monasterium, aut officinas ejusdem, vel etiam aliquas discursus gratia, non peccant. Ita Rodriguez tom. 1. quæst. 47. art. 11. Pellizarius tom. 2. tractat. 10. cap. 5. sess. 3. n. 166. Barbosa, Sanchez, Miranda, Reiffenstuel cit. num. 65. & communis aliorum. Ratio est: quia in tanto rigore præceptum Clausuræ non videtur receptum, teste consuetudine. Quantum autem tempus requiratur ad hoc, ut quis finito negotio se detinens peccet mortaliter, non est facile definire. Lessius lib. 2. cap. 12. num. 32. putat, quòd per quadrantem se detinens nec venialiter peccet; notabiliter verò ultra mediam horam, moram trahens, peccet mortaliter, & sequitur Pellizarius cit.

157 Dices: si hæc ita se habent quoad Clausuram Monialium cur ergo videmus, ea non ita observari in omnibus Monasteriis Monialium? Respondeo cum nostro P. Kerckhove in statuta nostra Generalia cap. 5. §. 8. num. 12. Quòd cum Monialium Clausura solius sit Juris humani, possit alicubi consuetudine esse derogatum Decretis clausuram indigentibus, quia possunt non esse recepta, aut contraria consuetudine abolita; nam contra Jus humanum contraria potest consuetudo prævalere. Ita Azorius tom. 1. lib. 13. cap. 8. quæst. 1. Sanchez, & alii communiter. Et sic videmus in Belgio nonnulla Monasteria, etiam Monialium solemniter professarum, ubi Clausura hætenus, nec introducta, nec observata est. Nihilominus (ait Reiffenstuel cit. num. 66. & 67.) si Episcopi, vel Superiores regulares animadvertant, quòd occasione huiusmodi consuetudinis in Monasterio aliquo, varia eveniant inconvenientia, vel nascantur scandala, vel notabiliter patiatur disciplina regularis &c. possunt, et gravissimè teneant huiusmodi consuetudines

tollere, vel saltem pro exigentia circumstantiarum moderari, ipsamque Clausuram denuò restituerit: ubi verò huiusmodi consuetudines nondum vigent, nequaquam permittit, ut introducantur. Ita Communis DD. ob clara verba Concilii Tridentini sess. 25. de regular. cap. 5. ubi gravissimam hanc obligationem tremendis verbis imponit, videlicet sub obtestatione Divini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ. Ratio est: quia consuetudo, quæ ab initio, vel cum tempore incipit præbere occasionem peccandi vel est utilitati communi perniciofa, non amplius est rationalis, sed irrationabilis, & mala corruptela, sicque nec licita, nec valida ex c. finali de consuetudine.

IV. Propter castitatem à viris religiosis servandam introducta est clausura Monasterii regularium virorum, quæ quoad egressum consistit in hoc, & obligat, ut nullus Religiosus absque licentia Superioris, & socio per Superiorem assignando è clausura Monasterii exeat. Ita communis, & patet ex constitutione Clementis VIII. super reformatione Regularium edita, quæ incipit: *Nullus, & ordine 60. in Bullar. Cherub. ubi §. 12. ad propositum ita statuitur: Nullus è Conventu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exiituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sepiùs.* Licentia verò generale exequendi nulli concedatur. Contravenientes autem pena gravi, etiam carceris, Superioris arbitrio plebantur. Eandem etiam janitor habeat, si sciens exundi facultatem fecerit: cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibat benedictionem receptorum; qui à socio iiteris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat, Hucusque Clemens VIII. Sed difficultas est: quale sit peccatum sine licentia Superioris è Monasterio exire? Respondet noster Pater Kerckhove citatus cap. 4. §. 2. num. 10. esse ex genere suo mortale. Ita Lezana tom. 1. cap. 16. num. 2. Pellizarius, & alii communiter. Ratio est: quia consuetudo, & usus omnium Religionum obtinuit, ut huiusmodi egressus ut culpa gravis semper puniatur. Ait tamen Pellizarius tom. 1. tract. 5. cap. 6. num. 11. Reiffenstuel tit. 35. de statu Monachorum, numer. 69. non peccare mortaliter, sed tantum venialiter, exeuntem de die sine licentia, nisi ex contempta, aut cum scandalo id faciat, ut contra Suarez benè docet, & solidè probat Navarrus comment. 4. de Regul. 35. Barbosa in Conc. Trident. sess. 25. c. 4. n. 3. Miranda. 1. q. 32. art. 2. Concl. 2. Lezana V. Clausura, & communis Aliorum. Ratio est: quia cum clausura Monasterii virorum quoad egressum tam stricte non obliget, uti Monialium; nec ullibi reperitur in Jure tam gravis obligatio, non censetur materia gravis, femel vel iterum absente scandalo, vel contemptu, aliave circumstantia gravi è Monasterio sine licentia Superioris exire. Ita Reiffenstuel c. Porro ad egrediendum sufficit etiam licentia interpretativa, saltem in casu, quo Superior commode adiri nequit, ut l. c. benè observat Miranda. Nec requiritur causa necessaria ad dandam egrediendi licentiam, uti ad egressum Monialis, sed sufficit quæ vis rationabilis: v. g. utilitas etiam modica Conventus, vel religiosi, charitas proximi, &c. Caret controversia. Aliud dicendum de nocturno, & furtivo egressu, de quo

Quantum ad Clausuram Monasterii Religiosorum quoad egressum, hæc principaliter consistit in hoc: ne illam ingrediantur, vel in eam admittantur mulieres. Nam omnes, & singula mulieres, sive prætextu alicujus privilegii ante Sanctum Pium Quintum, vel Gregorium Decimum Tertium concessi, sive absque prætextu privilegii clausuram Monasterii virorum Ingressus, & Religiosi eandem admittentes, vel introducentes, excommunicationem ipso facto incurrunt; Regulares verò præter peccatum grave, & excommunicationem, etiam privationem officiorum, quæ habent, & inhabilitatem ad alia, nec non suspensionem à Divinis incurrunt. Ita noster Pater Kerckhove in statuta Generalia cap. 4. §. 5. num. 3. Reiffenstuel tit. 35. de statu Monachorum numer. 74. & apud ipsum Hyacinthus Donatus, Navarrus, Pellizarius, Azorius, Sanchez, & Suarez, tom. 4. de religione tract. 8. lib. 1. cap. 7. numer. 9. Ratio est: quia Sanctus Pius Quintus in declaratione, quæ incipit: *debet Romanum, inter alia expressè sic habet: auctoritate Apostolica tenore præsentium dicimus, & declaramus, fuisse, & esse mentem, & intentionem nostram, quòd dicte litteræ (videlicet ipsius Bulla, quæ incipit: Regularium Personarum) non solum comprehendarent, & comprehendant mulieres habere præcedentes facultatem, & indultum ingrediendi Monasteria, sed etiam, & quascunque mulieres alias, tam in genere, quàm in specie, Excipiuntur tamen. I. Paellæ defectu ætatis nondum rationis usum assecutæ, non tamen fatuæ puberes, sicut dictum*

suprà n. 155. II. Imperatrices, Reginae, earumque filiae, etsi sint aptæ viris inferioribus, sicut etiam Archi-Ducissæ, ac Electricæ S. R. I. ac etiam Monasteriorum Fundatrices, juxta suprà dicta n. 155. III. Mulieres possunt religiosorum Monasteria ingredi absque obventa speciali licentia in aliquibus casibus in constitutione S. Pii V. Decet Romanum Pontificem, contentis, sub his verbis: *significantes nihilominus, quòd propter hoc, & prædictas nostras litteras non intelleximus, nec quòd mulieribus præcluderetur, nec præcludatur aditus ad Monasteria, & loca regularia, & eorum Clausura, quando in eis Missæ, & alia Divina officia celebrantur, ac dum processiones fiunt, & quando Christi fideliùm cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam proets suffragia fiunt, sed liberè perpetuò concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca, in quibus dicte pia opera exercentur, cum aliis Catholicis personis accedere liberè, & licitè possint, & valeant. Similiter, quòd quando Divinum verbum in Clausuris Monasteriorum, & regularium locorum proponitur, vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fuerit, quòd commode ingredi non possint, & egredi per portam Ecclesie perpetuò concedimus, ut didic mulieres, usà cum aliis secularibus personis ingredi possint, & egredi per portam Clausuris Monasteriorum, & locorum regularium huiusmodi, dummodò rectè rramite accedant ad portam, qua exitus è Monasterio, & vice volumus pariter, & indulgemus.* Ita S. Pontifex cit. Circa quam constitutionem notat Lezana apud Kerckhove cit. n. 18. Quòd licet ea fuerit facta intuitum Congregationis Montis Virg. Postea tamen ab communicationem privilegiorum ab aliis ordinibus accepta sit. Per Alia autem Divina officia in hac constitutione intelligit Sanctus Pontifex (juxta Kerckhove cit. num. 20.) alia officia pia solemnia, ut si inter Clausura fiat sermo prædicationis, aut oratio pedum in die Cæne celebratur; vel quando datur habitus, vel sit Professio Novitii, vel sepeliatur defunctus, vel pro eo suffragia fiunt. Item quando processionaliter deferatur ad infirmum in infirmaria, vel interiori Clausuro manentem SS. Eucharistia, &c. Notat tamen noster Portel. apud Kerckhove cit. n. 23. Si manè fiat processio in Clausuro, non possint mulieres vesperi ingredi solum ad videndum Clausurum. Admittit verò Portel. apud, & cum Kerckhove cit. n. 19. Coriolano, & aliis, posse Prælaturam regularem intra clausura Monasterii consultò intrinsece processionem extraordinariam, ad hoc, ut feminae ingredi possint occasione illius. Ratio est: quia hoc nullibi legitur prohibitum, & cum femina occasione processionis ordinariè possint ingredi Clausurum, cur non occasione processionis extraordinariæ, cum tam benè in una, quàm in altera præaveantur pericula, & scandala? IV. Feminae possunt ingredi Sacristiam regularium virorum, si habeat portam in Ecclesia positam, licet etiam habeat alteram in clausuro Monasterii juxta dicta suprà n. 375. Item si religiosi in residentia tamquam in domo privata ad tempus vivant, non censentur ea habere Clausuram; sed si sit residentia perpetua, habens Ecclesiam cum Eucharistia. Ita Layman lib. 4. tit. 5. cap. 12. num. 5. cum Sanchez. Pariter fœminæ possunt admitti intra domos, & Monasteria cepta ædificari, sed nondum finita, in quibus habitant aliqui religiosi ad servicium Fabricæ. Ita Communis apud Kerckhove in statuta nostra Generalia cap. 4. §. 5. num. 13. Sorbus, Pellizarius, &c. tum quia Sorbus in compend. privileg. V. ingredi Monasteria, in annotat. nu. 13. pro hoc refert declarationem Cardinalium: tum quia huiusmodi domus, & Monasteria nondum censentur esse conventus, nec habere adhuc clausuram, similiter permitti potest consuetudo quorundam Monasteriorum, in quibus mulieres honestæ admittuntur ad domum, seu aulam Abbatis, vel Præpositi regularis, quæ se juncta est à clausuro Conventus, & unius Abbatis, seu Præpositi, ejuşque officialium usui deputata: dummodò talia sine scandalo, & quavis specie, aut suspitione mali fiant. Ita Layman cit.

Petes, An detur parvitas materiæ in violatione Clausuræ? Respondet la Croix lib. 1. num. 673. Si monialis egrediantur è Clausura, aut alius ingrediantur Clausuram monialium ad duos pedes, & statim redat, est materia levis uti rectè Naldus, Grassus, & Diana R. 22. contra Sanchez, & alios, qui dicunt esse materiam gravem, & mortale, nisi maneret in officio, aut pars una corporis maneret intrò, vel extrà. Ratio nostra est: quia finis præcepti legis est cavere pericula Monialium, & occultare velut mortuas mundo, contra quem hic non agitur notabiliter.

§. IV. Religiosus ex Voto obedientie obligatur obedire in omnibus, quæ Superior præcipit secundum regulam, & Constitutiones sui Ordinis.

I. Obedientia communiter definiri solet secundum Doctores, quòd sit virtus, quæ promptum facit hominem ad implendum mandatum Superioris. Igitur religiosus ex voto obligatur ad ea omnia, quæ Superior præcipit secundum regulam, & Constitutiones sui ordinis, sive directè, & expressè: sive indirectè, & implicitè, quæ sunt illa omnia, quæ ad regulam obervantiam sunt necessaria. Ratio est, quia ad hæc omnia se obligavit religiosus eo ipso, quo professionem emisit secundum regulam & ad obediendum se voto obstrinxit. Estque hæc obligatio gravis ex genere suo; quamvis superior (ut notat DD. apud nostrum Herincx par. 3. tract. 4. disp. 5. qu. 9. num. 55.) de factò ordinariè non velit graviter obligando præcipere, nisi mentem suam adjunctione termini obedientiæ, gravis censuræ, aut alio signo manifestet. Dictum est, quæ superior præcipit secundum regulam: Nam præcipienti aliquid contra regulam, (nisi forte in quibus dispensandi habet facultatem, & juxtam causam) non tenetur obedire religiosus juxta communem apud Maffrium Theol. Moral. disp. 14. qu. 1. art. 3. nu. 24. In dubio autem, num materia præcepta sit licita, tenetur obedire, tum quia superior habet jus certum præcipiendi, à quo non deturbatur per dubium sui subditi, hinc S. Bernardus lib. de dispens. præcepto c. 9. ait; *Quiddid vice Dei præcipit homo quod non sit tamen certum displicere Deo; haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat DEUS.* Tum quia sequere consilio, & destructio communitatis, si prætextu dubii subditus nollet obedire superiori. Quæ rationes etiam probant subditum teneri obedire superiori, etiam si subditus haberet sententiam probabilem, materiam præceptam esse illicitam. Qua de re vide P. Patritium Sporer tractat. 1. Prelim. cit. 3. sect. 6. num. 38. Hoc adhuc addo ex nostro Maffrio cit. num. 57. Si Capitulum Generale, aut hi, quorum est leges condere, vellent regulam collapsam ad pristinum statum reducere, tenerentur profecti eam reformationem acceptare. Ratio est: *Quia professus est vi professionis confessionem se obligasse ad procurandam illius religionis consuetudinem; ac quàm cum maximè necessaria sit regulæ impletum statum restitutio, ad hanc procurandam, vel non impediendam se tacitè obligasse censendum est. Et inde à fortiori inferunt Doctores, teneri moniales admittere reformationem Bonifacii VIII. c. un. de statu regularium, in 6. innovatam à Concilio Tridentino sess. 25. cap. 5. de regularibus de servanda Clausura, aut ea introducenda: quia Clausura est omnino necessaria feminis ad plenam voti castitatis observantiam. Ita communis apud Layman lib. 4. tract. 5. cap. 9. num. 3.*

II. Non est certum, quòd docent Azorius tom. 1. lib. 12. cap. 13. quæst. 4. Sanchez. Miranda apud Layman citat. num. 4. item Maffrius cit. num. 25. Quòd regularis subditi non teneatur obedire Prælato suo præcipienti actus merè internos, verbi gratia orationem mentalem. Nam contra est (ait Layman citatus) quòd homo vovere potest, quiddid sanctum, Deoque gratum existit; atque obedire Prælato præcipienti actus internos virtutum, verbi gratia orationem mentalem, est opus Deo gratum, & magnæ perfectionis, ut indicat D. Thomas in 2. d. 44. qu. 2. artic. 5. ad. 3. Ergo ad talem obedientiam homo se voto obstringere potest, uti docet Suarez lib. 4. de legibus, cap. 12. in fine. Neque est improbable, quòd religiosi saltem aliquarum religionum, in quibus stricta obedientia viget, ad talem obediendi severiter se obligent, cum velint fieri sicut holocaustum, quo se totos, ac præcipuè voluntatem suam Deo in manibus, ac potestate Prælati offerunt. Quòd confirmatur ex eo, quia in multis religionibus præcipitur subditis, ut ad certam particularem intentionem orent, vel sacrificent: cum tamen talis intentio operi omnino accidentaria, censori debeat merè interna. Monet tamen Suarez in cit. loc. non esse consultum, & fortasse in nulla religione consuetum, ut actus interni, qui exteriori nullo modo produntur, præcipiantur sub obligatione peccati: quamvis absolutè loquendo præcipi possint.

III. Difficultas est non parva, an religiosus teneatur obedire Prælato suo præcipienti, ut exponat se periculo mortis ad bonum proximi, v. g. an tempore pestis teneatur religiosus, obedire Prælato suo præcipienti, ut ministraret infirmis Sacramenta? Ad cujus difficultatis solutio